

ministrare, ut ceolū quoque, & aquam, manile, & manutergium tenere, Episcopo quoque & Leuitis pro lauandis ante altare manibus aquam præbere. Hoc pariter officio usus est Dominus, quando linteo se præcinxit ad lauandos pedes discipulorum. Sextus est ꝑ Ordo Diaconi, cuius munus consistit in nouem, d. cap. perlectis. Videlicet, assistere sacerdotibus ministrando in sacramentis, secundo oblationes fidelium offerre, & disponere in altari. Tertio componere mensam. Quarto, crucē ferre. Quinto prædicare Euāgelium, & ceteras scripturas. Sexto, officium nunciare finitum. Septimo, recitatio catechumenorū. Octauo, præmonere aures habere ad Deum. & Nono q̄ pacem donat, & annunciat. Sed summus, & principalis Diaconi actus est, ministrare sacerdoti in consecratione corporis Christi immediate super altare, nam ad hunc actum omnes alij referuntur, ut corporale componere, & super ipsum cōsecrandas ponere: Sic quod populum præmonet, dicendo, stectanus genua, leuate, & huiusmodi. Et quod dat patenam, immediate sumens eā a sacerdote, quod prædicat, & cetera. Hoc totum ordinatur ad hoc, quod populus digne cōmunicet de manu Eucharistiæ dispensantis. Hoc etiam officio usus est Dominus quando post cœnam sacramentum sanguinis, & carnis ministrabat discipulis, ac quando prædicauit. Septimus Ordo est presbyteri, qui Græce senior interpretatur, d. c. clericos, propter honorem, & dignitatem, quam accipit. cuius denique officium est sacramentum corporis, & sanguinis Domini in altare Dei consecrare. Vnde ait Dominus sacerdotibus Hoc facite in meam commemorationē. Luc. 22. Tunc enim Dominus Apostolos sacerdotes ordinauit, quibus dedit potestatem, ut quemadmodum ipse ex pane corpus suum consecrauit, accipiens panem, ac dicens: Hoc est corpus meū. Et similiter accipiens calicem, ait; Hic est calix, &c. Sic habentes ordinem sacerdotalem in uirtute uerbi Christi possint

panem in corpus, & uinum in sanguinē conuertere. Rursum ad sacerdotem pertrinet, orationes dicere, d. c. perlectis. Scilicet, ut in missa orationes pro se, & populo fundat, & populum ad orandum inducat. Vnde sacerdos sæpe dicit in missa: Oremus. Et Mach. 1. orationes faciebant sacerdotes. Item debent benedicere dona Dei, d. c. perlectis. i. oblationes, & panem dandum populo benedictum. Hoc officium sacerdotum Christus exercuit, quando post cœnam panem, & uinum in corpus, & sanguinem suum diuina uirtute conuertit, dicens Apostolis: Accipite, & comedite. Excellentius quoque usus est hoc officio, quando pro peccatis humani generis seipsum in ara crucis obtulit patri, idem sacerdos, & hostia. Et adhuc gloriosius implet, dum sedens ad dexteram patris interpellat pro nobis. Et ex his collige quod secundum Theologos, & communem sententiam Doctorum. Septem tantum reperiuntur Ordines, nec enim Episcopatus ꝑ est Ordo, sed est dignitas, siue excellentia in Ordine: tum quia non imprimit caracterem, tum etiam, quia omnis Ordo ordinatur ad sacramentum Eucharistiæ, sed Episcopus non habet potestatem superiorem quantum ad sacramentum Eucharistiæ, quantum habet sacerdos simplex, ergo Episcopatus non est Ordo, quantum est sacramentum, quia capiendi ordinem prout dicit officium, siue gradum potestatis, respectu quarumcunque sacrarum actionum, Episcopatus est Ordo, tum autoritate Ihsori in d. c. clericos, tum etiam ratione: quia Episcopus ex sua ordinatione, vel consecratione habet ampliorem potestatem in collatione sacramentorum, & executione sacrarum actionum, quam simplex sacerdos. Potest enim conferre omnes ordines consecrare alium in Episcopum, confirmare, c. de his, de consecr. distin. 5. Morales benedicere, & multa alia, quæ non conueniunt simplici sacerdoti. Et ita per hanc distinctionem potest ad concordiam duci opinio Iuristarum & opinio Theologo-